



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm Vnicvm. Vt primicerius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

delegari possint, iuxta c. statutum 11. de re-  
script. in 6. Et utrum Iudex conseruator cō-  
stitui possit, iuxta. c. vlt. de offic. delegati,  
in 6. Resp. & Dico I. Decanus Ecclesiæ Ca-  
thedralis, dignitatem, seu personatum ha-  
bere censetur. Quia tametsi ponamus, iuris-  
dictione præditum non esse, habet tamen  
præminentiam inter Canonicos, & alios  
Clericos. Qua item ratione Præpositi Ecle-  
siarum secularium, licet nullam administra-  
tionem seu iurisdictionem exerceant, tamen

propter eminentiam, seu processionem, di-  
gnitatem seu personatum habere censetur.  
Videri potest Syl. ver beneficium, 1. q. 5.

Dico II. Decani rurales non censetur  
habere dignitatem, vel personatum; sed sim-  
plex ministerium, seu officium. Neque in  
Ecclesiæ principalibus, seu Cardinalibus  
præminent; sed solum in minoribus seu  
plebanis parochijs, vti constat ex hoc c. ver.  
per minores titulos.

## TITVLVS XXV.

### DE OFFICIO PRIMICERII.

#### CAPITVLVM VNICVM.

##### Vt primicerius.

**P**rimicerius, sub Archidiacono  
constitutus, in docendo, ac psal-  
lendi ratione præst Diaconis,  
& alijs Clericis: quorum curam  
sollicitam gerere debet, vt disci-  
plina inter eos obseruetur.

Aduerte primò: Quod olim veteres in  
tabulis ceratis scribere soliti sunt. Hinc factū  
est, vt qui tabulis publicis præfectus erat,  
primicerius appellaretur, id est, primus no-  
tarius, seu protonotarius, vti constat ex tit.  
Codicis lib. 12. de primicerio, & secundoce-  
rio, itn. Gl. rubricæ, & Nouel. 8. Iustin. c. 14.  
§. A spectabili. Sed & aliorum officiorum,  
vt cubiculi, palati, militiæ, fabricæ primus  
prefectus, & uno verbo, quicunque in ali-  
quo hominum ordine primum albi, seu tabu-  
le cerate locum obtinuit, primicerius di-  
ctus fuit; qui autem secundum locum tenuit,  
secundocerius, & qui tertium, tertiocerius,  
vt constat ex l. vlt. C. de domesticis, lib. 12.  
& notauit Azor cit. l. 3. c. 17. q. 1. Petr. Greg.  
Tholosanus lib. 15. Syntag. c. 22. Quare pri-

micerius hoc loco ille dicitur, qui tūm in  
choro psallentium, tūm in schola primum  
inter Diaconos, ac reliquos Clericos lo-  
cum habuit. Quare quibusdam Ecclesiæ  
Præcentor appellari solet, vti videre est in c.  
cūm olim, 6. de consuet. & qui alterum post  
ipsum locum tenet, Succentor, vti videre est  
in c. inter dilectos, 11. de excess. Prælator, &  
notat hinc Hostiensis.

Quæritur, Vtrum primicerius,  
cantoria, seu præcentoria sit dignitas, seu per-  
sonatus? Respondeo: Si primicerius, seu  
præcentor, ratione officij sui, inter alios Ec-  
clesiæ Canonicos præminentiam habeat,  
seu priorem locum in choro, in Capitulo, in  
processione, censetur habere dignitatem, seu  
personatum. Idque constat ex c. cūm conce-  
ssissent, 8. de constitut. Idemque dicendum  
est de subcentoria, vti Gl. docet in cit. c. inter  
dilectos. Et de Thesaurario, seu Custodis  
officio; sicuti Azor annotauit cit. c. 16. q. 6.  
Quod si verò Ecclesiæ Custos v. g. officium  
seu administrationem habeat absque præ-  
minentia, quia ratione muneris sui alios Ca-  
nonicos non antecedit, tunc licet beneficium  
duplex, & præbendam meliorem obtineat,  
non tamen dignitatem seu personatum, vt  
dixi lib. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. §. Alia verò.

Cccc 3 TITV-